

Ant. Rom.

584

~~Ant Rom 1746~~
~~726 m~~

Q. D. B. V.

DE

SECESSIBVS VETERVM,

ad

mentem sententiamque

C. PLINII CAECILII SECVNDI,

Rectore Magnificentissimo,

SERENISSIMO IUVENTVTIS PRINCIPE

FRIDERICO VVILHELMO,

REGNI BORVSSIACI ET ELECTORATVS BRAN-
DENBVRGICI HEREDE,

ac reliqua,

IN REGIA FRIDERICIANA,

Amplissimi Senatus Philosophici consensu,

PRAESIDE

M. CHRISTOPHORO GOTHO- FREDO BARTHIO,

PLECHENSI FRANCO,

a. d. Iulii publice disputabit

IO. CASPAR BVCHNERVS,
Molschlebia - Thuringus.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Litteris Ioannis Grunerti, Acad. Typogr.

CIO MCCC.



GERBERVS

WILHELMVS

CHRISTOPHORVS

FRIEDRICH

VILLHAIMO

GENI BOB/ SPACH/ E/ E/ TOR/ AT/ B/ B/ W/

CHRISTOPHORVS

de ...

in ...

CHRISTOPHORVS

de ...

CHRISTOPHORVS

WILHELMVS

CHRISTOPHORVS

de ...

NO CASPAR BUCHNERVS

de ...

CHRISTOPHORVS

de ...

de ...





EX his, quæ studiis nostris emolumento sunt, non postremum censeo, vt ea quæramus loca, quæ ab imperita multitudo satis remota, adeoque solitariæ vitæ quam maxime accommodata habentur. Non tale quid ex odio in plebem, aut alios homines, aut ipsam etiam societatem humanam suademus, sed ne vna viuendi conditio alteri impedimento sit, magis e re esse existimamus, vnicuique parti quod suum est, vendicare. Licet enim tantus nobis in promptu sit librorum numerus, ut etiam *ad millia ferme voluminum septingenta sese extendat*, qualem *Alexandriæ bibliotheca A. Gellius extremo lib. VI. c. 17.* tribuit; parum tamen id proderit homini, museo, ab aliorum strepitu tuto, carenti. Quid sine otio & lectione emolumentum habebit *studiosa hac luxuria? vt Seneca de Tranq. An. c. IX.* verbis exclamemus. Vel solæ græcorum philosophorum peregrinationes satis nobis testimonio esse queunt, quantum veteribus loca studiis præstantissimisque litteris apta, curæ olim cordique fuerint. Ordine quidem cuncta vigent, ordine cuncta florent, tantum autem abest, vt sola methodus vtramque absoluat paginam, vt etiam ne ordinis quidem nobis liceat habere rationem, nisi quieto & tranquillo satis animo gaudeamus. Tranquillitatem autem non leuiter promouebis, aut iam acquisitam in maius adaugebis, quam si turbarum plenas familiaritates missas facis,

cis, & quod temporis aut vitæ superest, litteris relin-
quis, iisque vnice sacrum esse cupis. Præclaræ voces,
& homine sano dignæ sunt sententiæ, quas Periclis
* & Cenlorii Romani ædificiis olim impressas fuisse, tra-
dunt. Vtrique enim horum vrbes, maiestate sua nullis
cedentes, deserenti, & maxime litterarum caussa priua-
tam publicæ vitæ præferenti, a sapientioribus adclama-
tum fuit: *o felices, vos soli scitis viuere!* Cui non absimile
illud Periclis: *inueni portum, spes & fortuna valete!* E
multiplici igitur ratione SECESSVS VETERVM com-
mendamus; maxime tamen, quod nihil peræque Mu-
sis prodesse videatur. Id quod nostra iam ad mentem
sententiamque C. PLINII CAECILII SECVNDI *de*
secessibus dissertatio dubio procul euincet. Igitur Summe
DEVS ne secedas a nobis, sed nostris meditationibus
studiisque sis præsidio, est, quod a te contendimus quam
maxime!

§. I. Totus antea eram in eo, vt, quid *generatim* Ve-
teres de suis secessibus monumentis consignarint, enar-
rarem. Verum cum ea latius aliquando, quam mihi
tum videbatur, paterent, consultius esse putavi, VNIVS
C. PLINII in præsentis legere vestigia, ne labor in im-
mensum excresceret, limitesque speciminis academici
transgrederetur. Dabo tamen operam, vt post hac et-
iam quæ aliorum de iisdem sit sententia, illis, quibus sci-
endi animus est, constare possit. Iam autem ad men-
tem C. Plinii vel solam de veterum secessibus, initium fa-
cturi *ab ipsius nominis ratione*, disputabimus. Nisi, quod
ad illustrandum, quædam aliunde velimus mutuo accipe-
re,

* quem Plinius noster Lib. I. epist. XX. cum Comico Eupoli-
de laudat.

re, vt ea, quæ sumus de secessibus commentati, magis palam faciamus lectori, & id, quod cum nostris temporibus aut diuersum aut commune habent, memoriæ prodamus.

II. Quod igitur ad verbum *secedere* hac de re vsu frequentissimo introductum, attinet, nulli dubitamus, quin huius significationis, quam habet, *aliqua*, quamuis non adeo certa dubioque omni carens reddi possit *ratio*. Cum enim Viri de administratione rerum publicarum omnium calculo meritissimi noluerint amplius negotiis interesse, vigiliarum laborumque plenis, ipsi sua sponte *sedem* & honoris & officii *cesserunt* aliis, ne de turbis vel negotiorum vel ipsorum hominum justam querendi haberent rationem. Inde aliam viuendi conditionem & quidem priuatam elegerunt; quo facto *secedentes*, hoc est, *aliis sedem cedentes*, sermone patrio: die sich auff ihren Land-Gütern zur Ruhe begeben/ und einem andern die Stelle geräumet/ dicebantur. Quo fortasse IO. CALVINUS *in lex. jurid. de voce secessus p. 804.* respexit, ex VLPIANO eum describens, quod *rus amœnum idque sub urbanum sit, quo animi relaxandi causa secedimus*. Hac enim animorum viriumque nimium quantum debilitatarum relaxatione, emeriti omnium maxime indigere videntur; quanquam si velimus, quod verum est, fateri, neque nominis etymon, neque Caluini descriptio Pliniano palato sufficient. Huic enim *secessus nihil aliud est, quam suburbanum prædium amœnissimum, quo vel litterarum otiique, vel tranquillitatis atque innocentie, vel etiam desidiæ, id est, honestæ & emeritæ a laboribus cessationis, aut recuperandæ valetudinis causa, strepitum urbanum fugientes, rerumque publicarum aliquando pertæsi, aut etiam alii magni nominis Viri, vel benemeriti sese contulerunt.*

III. Quibus terminis ab ipso Plinio positus curatius paullo inhæremus, singulaque capita, quoad eius fieri poterit, non tamen seruato semper vno eodemque ordine, persequemur. Ex his autem, quorum primum mentio facienda, sunt *gratia secessuum, opportunitas loci & littoris spatium*, quæ singula LIB. II. EP. XVII. a Plinio posita, ipse alibi, & quidem LIB. I. EP. III. sub *amœnitatis* nomine complectitur. Quam *amœnitatem* in primis commendant splendidiorumque reddunt, & vrbium vicinitas, & commoditas vel maris vel amnis, vel lacus cuiusdam, aut his etiam proxima siluarum copia, & innumera alia. Plinius *siquidem decem & septem millibus passuum secessit ab vrbe: ut peractis, quæ agenda fuerint, saluo iam & composito die, potuerit ibi manere.* Laurentum denique in agro iuxta oppidum Laurentum situm ab hoc geminum nomen Laurentinus & Laurens accepisse, *exactissimus* VIR CHR. CELLARIUS vel ipso etiam præeunte Plinio, in notis p. 101. abunde testatur. Qui etiam ad LIB. I. EP. IV. prædia Ocriculanium, Narniense, Carsulanum ab oppidis vicinis cis Apenninum ad viam Flaminiam sitis, adpellationem traxisse, quam scite & eleganter notauit.

IV. Ut autem cessent alii mirari, cur veteres olim tantopere delectarint secessus, iuuabit, in quibus partibus præter ea horum amœnitas consistat, latius aliquando exponere. Et quidem *de Laurentino* Plinii, cum reliquis de iucunditate certante, ut est in EP. VI. LIB. IV. id nolumus silentio præterire, quod *non una via ad eundem aditus olim patuerit viatoribus.* Ex his enim quæ secedentium stomachum sollicitabant, facile primas partes ipsa etiam *via opportunitas* tuebatur; docen-

cente id ipsum EP. XXIV. LIB. I. *Varia hinc atque inde facies villa Laurentina. Nam modo occurrentibus siluis via coarctabatur, modo latisimis pratis diffundebatur & pateſcebat.*

V. Hanc tandem *amoenitatem* cum Plinio LIB. II. EP. XVII. & LIB. IX. EP. XXXVI. & XL. *recte in hiemalem & æſtivam* licet diſtinguere quarum altera priore multo maior. Tum enim vt dies ſuaſit, in xyſtum ſe vel cryptoporticum contulerunt, idque ante meridiem hora quarta vel quinta. Sciendum etiam, & pro certo tenendum, *partes ædium alias hieme inhabitatas fuiſſe, tempeſtate æſtiua alias*, ita tamen, vt quæque harum temporis rationi reſponderet, & mirum quantum *iucunditatis*, latiſſimum ſcilicet mare, longiſſimum littus, amoeniſſimas villas, multarumque urbium faciem proſpiciendam dederit. Iucunditatis etiam argumentum erant *effigies defunctorum*, quos ardentiffime amarunt. Has enim *imagines* in his ipsis ſuis villis poſuiſſe veteres, patet ex LIB. II. EP. VII. LIB. II. III. EP. X. & LIB. IV. EP. XXVIII. Quid autem inter has *imagines* & *epistolam* interſit, quam ornate ad ſuum P. Cortefium Io. Pic. Mirandula differit EP. XVI. Adeo nihil, quod *commoditatem* ſaperet, vel etiam *amoenitatis* aut *iucunditatis* nomine veniret his defuit ſecefſibus, vt potius, vel ipſum amoenitatis compendium verumque exemplar, dici mereantur; immoprædia, multis dotibus commendata, vt Plinius vult LIB. I. EP. XXIV. Ablegamus, qui velint ſecefſuum ſtructuram quam elegantem, eorumque partium ornatam fabricam, & Plinii in primis Laurentinum penitus paullo noſſe, ad hoc eximium volumen gallicum: *de la maiſon de Pline par Mr. Felibien avec. fig: à Paris 1699.*
ches

ches Mr. de Laune. Aut si mauis, summam & breuiter ipsum Plinium audire, omnem hic amoenitatem LIB. I. EP. III. his paucis complexus est, quærendo e CANINIO RVFO SVO, quid agat suburbanum amoenissimum? quid illa porticus, verna semper? quid *ωλαταιων* opacissimus? quid Euripus viridis & gemmeus? quid subiectus & seruiens lacus? quid illa mollis, & tamen solida gestatio? quid balineum illud, quod plurimus sol implet & circumit? quid triclinia illa popularia? quid illa paucorum? quid cubicula diurna nocturna que? Possident ne te, & per vices partiuuntur? His adde, quæ LIB. V. EP. IV. & XVIII. & LIB. VI. EP. XIV. LIB. IX. EP. VII. legimus, apprime vel singula huc facientia.

VI. Nec tamen a sola amoenitate hi ipsi secessus laudem commendationemque habuerunt; *vsibus* etiam erant capaces, vt eos ex merito liceat vocare *prædia*. Et quidem quod ad villam Laurentinam attinet, mare huic vicinum licet non pretiosis piscibus abundarit: soleas tamen & squillas optimas suggesfit. Villa etiam Plinii, inter vicum & prædium interiacens, mediterraneas copias præstabat, lac in primis. Nam illuc e pacuis pecora conueniebant, si quando aquam vmbraque sectabantur. Multi greges ouium, multa ibi equorum bouumque armenta: quæ montibus hieme depulsa, herbis & tepore verno nitescebant. Præter ea LIB. I. EP. VI. Plinius Tacito suo notum facit, se apros tres, & quidem pulcerrimos cepisse, adeoque vel ipsa venatione iterum iterumque non vacuas sane manus reportasse. Et licet LIB. IX. EP. X. & XVI. de penuria aprorum, conqueratur, & venationes exiguas appellet; iustis tamen de causis veteres mihi videntur *incoluisse, inhabitasse,*
dite-

dilexisse secessus; quos, qui hodie non concupiscunt, ceteris scilicet recte se habentibus, nimis certe urbanos vel ipso Plinii iudicio censemus.

§. VII. Licet vero hæc, quam depinximus, amoenitas, *amula Baianis*, (quæ Martialis LIB. IV. EPIGR. XXV. immo ipsius Plinii LIB. IX. EP. VII. vox est,) multos facile ad serapere potuerit, tamen alia, & quidem his *multo maior subfuit causa*, qua, vt multum hic & temporis & vitæ consumerent, veteres olim se motos senserunt. *Litterarum scilicet amor simul in secessus amorem peperit.* Omne enim tempus inter pugillares ac libellos jucundissima quiete Plinio teste Lib. IX. EP. VI. transmiserunt optimi Romanorum. Tantum abest, vt, vel *ullo spectaculi genere tenerentur*, vt & ipsorum *Circensium ludorum* vanitatem vel ipse Plinius riserit, & homine, litterarum studio, indignos iudicaret. Quo magis miramur, tot milia CHRISTI sacris initiatorum, ad hoc vsque tempus ludicris capi, immo, quod vehementer dolendum, his vanis maximum temporis transmittere. Mitto apud vulgus gentilium ita fieri, quod amans vanitatis est: sed apud hos, qui CHRISTO fidem dederunt, eique nomen & salutem debent, turpe est non intermitteri: quos ego, quum recordor, in re inani, frigida, tam insatiabiliter desiderare, tristitia me vel exanimem sentio, quod ipsi animæ non sentiant periculum. Vel ipsi sapientiores e gentilibus ceperunt voluptatem, quod hac, quam nostri hodie, si diis placet, Christiani, tantopere jactitant, voluptate non se captos viderint. Hi per hos dies libentissime *otium suum*, immo solatium omne vt est in LIB. VIII. EP. XIX. in litteris collocarunt, quos alii otiosissimis occupationibus perdiderunt, & etiamnum non pauci e nostris perdunt.

B

§. VIII.

§. VIII. Igitur vt paucis, quod res est, significemus, *Litterarum otiique gratia*, veteres sibi valde, ferme dixerim, vnice atque vnice commendatos habuerunt secessus. Quod vt clarum fiat, est, vt *quid litterarum otiique nomine* velimus intellectum, si non nostris, vel Plinii, vel etiam aliorum eruditione clarorum verbis, explicemus. Præmittendum autem præ ceteris, *quæ olim litterarum genera veteribus omnium maxime familiaria & in vsu fuerint.* Quod scite pro more suo, exponit laudatus CELLARIUS. Hic DE STVD. ROM. LITT. IN VRBE ET PROV. §. III. ita tradit: *Omnis doctrina antiquitus philosophia historia, poesi, & oratoria arte continebatur, cui pauci ius ciuile addiderunt: Sed politiores litteræ poesi maxime ac oratoria concludebantur. Otium autem, cuius sectione II. fecimus mentionem, quo se in primis poetæ delectabant, nihil plane cum ignauia hominum commune habuit; immo, veteribus litterarum studiis operam dantibus, summus discendi ardor, & præstantiores meditationes, OTII RES dicebatur, vt vel ex illo Vergilii ECLOG. I. patet:*

Deus nobis hæc otia fecit.

Sic Plinius LIB. I. EP. IX. *O dulce otium honestumque, ac pæne omni negotio pulcrius!* Et porro: *satius est, vt Attilius noster eruditissime simul & facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere.* Quod CL. NOSTER CELLARIUS ita interpretatur: *satius est, litteris in secessu operam dare, quam inania in Vrbe agere.* Hinc cum addito etiam Plinius LIB. I. EP. XXII. *studiosum otium dixit; ET LIB. I. EP. VI. studia litterarum intertiam suam & quietem vocauit.*

§. IX. His probe intellectis, commode iam ad reliqua possumus descendere, & quidem demonstrando, quam

quam apte secessus olim *carminibus dederint natiuitatem* ortumque; adeo, vt, ceu olim Simio fenex apud Terentium in Andria, *vel ex solo loco orationes & carmina licuerit inuenire.* OVIDII certe cantilena est libr. I. Trist. El. I. v. 4.

Carmina secessum scribentis & otia querunt.

Cui geminam addimus, quam de se canit HORATIVS LIB. I. OD. I.

Megelidum nemus,

Nympharumque leues cum satyris chori

Secernunt populo.

Plinius etiam LIB. VII. EP. IX. *carmen continuum & longum non nisi in otio perfici posse, fatetur.* Tacitus, vel quisquis est, in dial. de oratore, Virgilii securum & secretum laudans secessum, plane idem C. XII. ET XIII. testatur. Plinius rursus LIB. I. EP. VI. *solitudinem, ipsumque silentium magna cogitationis incitamenta appellat.* Hinc est etiam, quod ait SENECA EP. LXXI. *Quaedam sunt, quae possis & in cisis scribere; quaedam lectum, & otium, & secretum desiderant.* Et Tacitus, vt Plinius LIB. IX. EP. X. auctor est, putauit, carmina inter nemora & lucos commodissime perfici. Inde est etiam, quod de HESIODO, VIRO perelegantis ingenii dicat & obseruet C. VELLEI. PATERC. LIB. I. C. VII. *eum otii quietisque cupidissimum fuisse.*

§. X. Poëta tamen præ ceteris tale petierunt secretum; licet & *Oratoribus* ad artem dicendi & scribendi, & *historicis* ad componendam historiam profuerit: id quod Plinius post non multo iterum iterumque loquetur. Et ad *poëtarum* quidem quod attinet gentem, iam olim eam ut sol inter stellas eminuisse, qui Plinio, Cornelio Nepoti in vita Catonis C. I. de Q. Ennio poëta, & ali-

is fidem habet, facile nunquam inficias ibit. Nec ipsi obest *l. 3. Cod. de Profess. & Medic.* perinde ac si Philippus Imperator eam omni omnino immunitatis prærogativa indignam statuerit. Addit enim GOTHOFRE-DVS: *id non eo sensu accipiendum esse, quasi diuini bi spiritus hanc talem immunitatem non mereantur, sed quod lex deficiat.* Plinius noster, quantum sacram poësin cum reliquis Veterum fecerit, indicio & argumento sunt LIB. IX. EP. XXV. LIB. V. EP. III. LIB. IV. EP. XXVII. LIB. VII. EP. IX. *qua postrema FVSCVM* versibus adhortatur ad versus. ET LIB. III. EP. XV. ex Proculi ore Tullium mira benignitate poetarum ingenia fouisse, testatur, & de se fatetur, eum *quam religiosissime poeticen venerari.* Hic etiam, quanta versuum cupiditate arserit, EP. VII. LIB. I. memoriæ prodidit. Idem præstat LIB. VII. EP. IV. qua poetica sua studia ab vltima ætate recenset. Immo, quod multo maius est, poësi olim vt salubri *mentis animique utebantur medicina.* Inde *lusus carminum* ortum traxit; vel, vt Plinius LIB. VII. EP. XXI. & LIB. IV. EP. XIV. ait, *graviora studia distinguere lusibus.* In pretio etiam tum temporis *carminum lectio-* nem fuisse, Plinius LIB. V. EP. XIX. prodit. Zosimum enim sic ibidem laudat: *tam commode orationes & historicas, & carmina legit, vt hoc solum didicisse videatur.* Carmina siquidem, vt CELLARIUS præclare docet, *alio tono legebantur & ex metri præcepto.* Adde EP. xxxiv. LIB. IX. Omni opera autem & studio lusum carminum *medicinam mentis* diximus; at, qui se nimium dant carminibus, CL. SCHEFFERO iudice, stili vim infringunt, fiuntque molles. Exemplo fuit Alsenus, cuius eloquentiam Seneca LIB. I. CONTROV. I. *desidia*

dia obrutam, & carminibus eneruatam fuisse scribit. Adde, quæ summus Vir IO. HENR. BOECLERUS in dissertatione de compar. Lat. L. fac. c. III. §. 10. p. m. 40. tradit.

XI. Hoc itaque extra dubium positum erit, ceu iam probauimus abunde, carmina, vt Plinii LIB. VIII. EP. XIX. nec non Ep. XXXV. LIB. IX. & OVIDII. I. TRIST. I. v. 39. constans est sententia,
prouenisse animo deducta sereno,

& nullibi per æque diuina, quam in secessibus scripta fuisse, vtpote in quibus animo vacuo lætoque licuerit viuere. Quare etiam non plane de nihilo erit, si eandem veritatem, eruditorum calculo, proxima nobis ætate, aut, non ita pridem clarorum confirmemus. Sic, *illustris & consummatissimus Vir IOAN. PIC. MIRAND.* scribit, Franciscum Petrarcham, & Dan-tem Aligerium, sive, vt aliis videtur, Aldigerium, (quos iure meritoque *litteratissimus D. Paul. Freberus Part. IV. Theatr. Vir. Erudit. Clar. p. 1421. & 1422.* laudibus in cælum vsque ex tollit) *suas poëses in secessibus, in umbra, in summa studiorum tranquillitate cecinisse.* Licet summus hic Vir fateri necesse habeat, (quod tamen non vulgare quid, aut in minimis ponendum) LAVRENTIUM MEDIC. eum Florentinum principem, idem, immo maiora, *inter tumultus, curiæ strepitus, fori clamores, maximas curas, turbulentissimas tempestates occupatissimum prestitisse.* Sed hoc magnitudini felicitatique ingenii dandum est, quemadmodum & Plinius LIB. III. EP. V. fatetur, MAIOREM PLINIUM multa volumina, multaque in his tam scrupulosa, hominem occupatum absoluisse. Nōstra ætate ILLVSTRIS CANIZIVS eandem vel ipse suo exemplo, secessuum ad versus componendos aptitudinem pat-

trio sermone in sic dictis Neben-Stunden unterschiede-
ner Gedichte p. 36. & 90. claram probatamque effecit.

XII. A pœsi ad ipsam oratoriam artem progressum
facimus. Cujus rationem exercendi, & quidem in seces-
su, præscribit FVSCO SVO Plinius LIB. VII. EP. IX.
Similia occurrunt LIB. I. EP. XVI & XX. LIB. II. EP.
III. LIB. IX. EP. XXVI. & alibi passim. In quibus,
cum vel omne, quod artis oratoriæ est, tradatur, ab in-
stituto nostro non adeo alienumerit, si, quæ huc spe-
ctare videntur, adnotemus excerpamusque. Hoc
ipso enim veteres etiam, & ex his MAIOREM PLINI-
VM sequimur, qui Plinio Cæcilio teste LIB. III. EP. V.
nihil legit, quod non excerperet; & ipse Plinius noster, ut
est in EP. VI. LIB. I. *meditabatur aliquid, enotabatque*. Bre-
uitati tamen in excerpando studebimus, cum id amplio-
ribus aliquando in *proxima* de RECITATIONE & RE-
TRACTATIONE VETERVM *dissertatione* præstare,
nobis sit constitutum. Quanti autem fecerint veteres ar-
tem & dicendi & scribendi, vel inde constabit, quod illam
phrasin *studere*, de hac maxime intellexerint, adeo ut, ne-
mo facile, nisi qui huic operam nauasset, *studuisse* putare-
tur. Inde est, quod litteras humaniores studiose excolere,
veteribus *studere* fuerit. Quod hodie plane fit aliter, adeo,
ut quæ olim superiores, nostra iam ætate inferiores salu-
tentur disciplinæ. Qua de re vide elegantissimam epi-
stolam ad V. CL. IAC. PERIZONIVM nostri C. CEL-
LARIi in disc. App. Danic. Sed quid ad nos contemptus
semibarborum? Reuertamur ad veteres, qui in his lit-
teris tractandis hunc seruarunt ordinem, ut, vel *ex la-
tino* verterent *in græcum*, vel *ex græco* in *latinum*. Cuius
instituti causas varias addit Plinius. *Hoc genere ait,*
exer-

exercitationis, proprietas, splendorque verborum, copia figurarum, visque explicandi paratur. Simul intelligentia ex hoc & iudicium acquiritur. Dein imitatione optimorum similia inveniendi facultatem sibi compararunt. Qua in re omnium versatissimi fuerunt. Nihil enim, & quidem non immerito, censuerunt obesse, quæ legeris hæcenus, ut rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, si non nulla tu; magnus pudor si cuncta ille melius. Quæ de imitatione præterea scitu digna sunt, altius e veterum monumentis repetiit, doctissimus IO. SCHEFFERVS de stilo, illiusque exerc. cap. V. Ab hac ad certamina animum applicarunt, eligentes interdum & notissima, & certantes cum electis. Audax hæc, non tamen improba, quia secreta, contentio: quanquam multos videmus ejusmodi certamina sibi cum multa laude sumsisse, quosque subsequi satis habebant, dum non desperant, antecessisse. Hac etiam emulatione fiebat, ut virtutem eorum, quæ ab aliis profecta, didicerint æstimare, ut Plinius lib. IV. EP. X. inquit: cum versus tuos æmulor, tum maxime, quam sint boni, experior.

XIII. Has studendi rationes iam recensitas, exceperunt novæ, non leuioris aut minoris usus. Nam, quæ dixerunt, post obliuionem retractarunt, multa retinuerunt, plura transuerunt; alia interscripserunt, alia rescripserunt. Retractare quidem orationem, idem veteribus erat, ac plenioram & magis onustam efficere, eamque nec leuiter & cursim retractare; quæ Plinii verba sunt LIB. IV. EP. IX. Ut paucis igitur, quod res est, dicam, aliquid secundis curis reformare & corrigere vel recensere, antiquis dicebatur retractare. Cuius gratia recitationes quam maxime instituebantur, ut ipse Plinius docet LIB. VIII EP. XXII. & LIB. IX. EP. X. qua postrema id genus operis inamabile, in-

mæ

moenum magisque laboribus ruris, quam voluptatibus simile cense-
 set. Rescriptionis indolem egregie IO. SCHEFFERVS
 de St. eiusque Ex. c. XIV. §. 29. p. 204. tradit. De retractationis
 autem labore idem Plinius in præsentia etiam EP. IX.
 LIB. VII. graviter queritur, ita tamen, vt emolumen-
 to, quod inde in suos redundat, se aliosque consoletur.
*Laboriosum, inquit, istud & tædio plenum, sed difficultate i-
 ipsa fructuosum, recalescere ex integro & resumere impetum fra-
 ctum omissumque: postremo, noua velut membra peracto cor-
 pori intexere, nec tamen priora turbare.* Fuit etiam veteribus
 præcipuum studium *orandi*, sed Plinius l. c. non ideo
 semper pugnacem hunc & quasi bellatorium sti-
 lum suadet. *Vt enim terra variis mutatisque seminibus, ita
 ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur.* Vult
 igitur, interdum aliquem ex *historia* locum apprehenda-
 mus: vult *epistolam* diligentius scribamus, vult *carmina*.
 Et *carmine* quidem oratio intendebatur remittebaturque,
non continuo & longo sed arguto & breui, quod apte quantas-
 libet occupationes curasque distinguit. Sed de hoc jam
 supra sectione IX. X. XI. Ad legendum, suos cuiusque
 generis *auctores* diligenter elegerunt. Ita summi ora-
 tores, summi etiam viri *se in secessibus aut exercebant,
 aut delectabant, immo delectabant exercebantque.*

XIV, Tantum autem abest, vt reliqua litterarum
 genera veteres olim in secessibus contemtu habuerint,
 LIB. IX. EP. XXIX, vt etiam totos se alii ad *philosophiam* contu-
 lerint, alii ad *historiam*. LIB. IX. EP. XXVII. aut, vt omnino fas
 est, *& hanc & artem oratoriam cum sapientie studio, quam belle
 conjunxerint.* Quod studium cum *sine meditatione** ne-
 que-

* vid. Logic. Contr. Clauberg. cum notis Flendern. p. 14. 15. i-
 tem p. 263. & 274. 275. Confer. Ingenios. Clerici Part. I. Logic.
 §. 10. it. p. 99. 100. & seqq. His adde præfationem CL. Ioan. C.
 Sturmii Mathes. Iuden.

queat tractari, meditatio vero sobria nisi in secessu aut otio detur, inde factum, vt & philosophis secessus se quam maxime probarint. Docuit hoc & orator & philosophus, vel, vt eum PLINIUS LIB. IX. EP. XXVI. vocat, *norma orationis & regula*, DEMOSTHENES, olim suo exemplo, qui non tantum commodas ad cogitandum horas assumebat, sed etiam in eum finem specum sibi subterraneum construxerat, ne auocari penitus ab illo posset. Præclara sunt, quæ QUINTILIANVS LIB. X. c. 4. de ipso prædicat. Adeo vt non Romani tantum, sed & Græci, suburbana hoc fine frequentarint. Plinius subinde, vt iam constat, ex hac caussa suum laudat *Laurentinum*, & EP. IX. LIB. I. vocat *verum secretumque μυσείον* *O mare, o littus, quam multa inuenitis! Iam undique silua & solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.* Experieris, ait Lib. I. ep. VI. ad C. Tacitum, non Dianam magis montibus quam Mineruam inerrare. Verosimile quoque est, Euphratem philosophum, & Aristonem, quos Plinius noster Lib. I. ep. X. & XXII. egregie laudat, non plane ab eiusdem notæ museis abhorruisse. De CICERONIS litteris studiisque in *Tusculano*, res nota; & negantem, si quis fortasse, vel solæ *questiones* illic natæ, conuincant.

XV. De *Græcis* exempla etiam præsto sunt. Antisthenes enim rogatus, quid emolumenti cepisset e philosophia? *vt mecum, inquit, loqui, siue viuere possim.* Cui doctissimus ERASMVS in *Apopb. Lib. VII. p. 611.* bene addit; *doctus, etiamsi solus sit, non sentit tedium solitudinis, sed multa præclara suo cum animo versans, quasi secum loquitur: indoctis molestissima est solitudo, atque etiam inutilis.* Exemplo sit *Tiberius*, de quo VELLEI. PATERC. lib. II. Hist. c. 99.

C

c. 99.

c. 99. Et si vnquam, hic certe illud Taciti in Agric. valet, *saeva cogitationis indicium esse, secreto suo nimis satiari.* Tunc ait SENECA epistola X. *mala consilia agitant; tunc aut aliis, aut ipsis futura pericula struunt, tunc cupiditates improbas ordinant, tunc quidquid aut metu aut pudore animus celabat, exponit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat.* Vel, vt Ep. XXV. de iisdem ait: *omnia nobis mala solitudo persuadet.* Adde, quæ Tacitus An. IV. c. 57. memoriae prodidit. Sed ad institutum. Præterea THALETEM MILESIVM, solitariam ac priuatam vitam adamasse, auctor est Heraclides apud Diog. Laert. de Vita Phil. lib. I. p. 15. & ipse Thales, eodem Laertio teste, Soloni Athenis excedenti, coloniam commendabat. De PLATONE, vel sola eius Academia loquetur, vt probe observat Diogen. Laertius Lib. II. de V. P. p. 167. & 168. Simile de Zenone Lib. IX. p. 549. aliisque passim; vt Lib. X. p. 602. Nostra ætate CARTESIVS e Gallia in Belgium veniebat, in quo scripsit suam philosophiam. Huc autem secessit, vt omnibus se auocationibus, quæ inter notos & familiares degentibus occurrunt, liberaret; ceu ipse in Differtat. de Methodo, & ex ea Claubergius de Initiat. Phil. sive dubitat. Cartes. p. 247. testatur. E quorum etiam numero VERVLAMIVS ille Cancellarius, de quo res iam obuia; qui solutus officio illiusque curis, se in sapientiæ veræ orbita sistere patiebatur. THOMAE MORO, vt in Vtopiæ præfatione p. 4. & 5. legimus, id ipsum denique oneri fuit, quod, dum causas forenses egit, nihil, aut parum temporis reliquerit literis, quæ tamen vt lib. I. p. III. fatetur, otium poscerent.

§. XVI. Rem omnem elegantissime suis verbis, licet

licet sub C. Langii nomine I. LIPSIVS *de hortorum vero
 usu differens LIB. II. C. III. DE constantia p. 122. 123. &
 seqq. expressit. En præclaram huius sententiam! Ne-
 gotium, inquit, in illo hortorum otio reperio, & inuenit ibi ani-
 mus, quod sine actione vlla agat, sine labore vlllo elaboret,
 Numquam minus solus sum, aiebat ille, quam cum solus: nun-
 quam minus otiosus, quam cum otiosus. Vox egregia, &
 quam ausim dicere, natam in his ipsis hortis. Scilicet men-
 ti parati illi, non corpori: ad eam recreandam, non ad hoc
 laxandum: & ad salubrem quemdam secessum a curis atque
 turbis. Homines tibi molesti? hic apud te eris. Occupatio ex
 „ haufit? hic replebere, vbi animo quietis illud pabu-
 „ lum, & ab aura puriore velut inspiratio nouæ vitæ.
 „ Itaque vides veteres illos sapientes? in hortis habi-
 „ tarunt. Eruditas hodie doctasque animas? hortis
 „ delectantur; & in iis diuina illa pleraque scripta pro-
 „ cusa, quæ miramur, & quæ nulla temporum series
 „ aut senectus abolebit. Viridi illi Lyceo tot dissertatio-
 „ nes de natura debemus. Umbriferæ Academiæ, de
 „ moribus, & ex hortorum spaciis diffusi vberes illi sa-
 „ pientiæ riui quos bibimus, & qui fœcunda diluue or-
 „ bem terræ inundarunt. Scilicet attollit se magis, eri-
 „ gitque ad alta iste animus, cum liber & solutus
 „ videt suum cœlum: quam cum ædium aut vrbium
 „ carceribus inclusus. Hic mihi vos poëtæ duraturum
 „ aliquod carmen pangite. hic vos litterati meditamini &
 „ scribite. hic, vos philosophi de tranquillitate, de con-
 „ stantia, de vita & morte disputate. En LIPSI ait do-
 „ ctissimus Langius, quæ vera hortorum vsio & finis.
 „ Otium inquam, secessio, meditatio, lectio, scriptio: &
 „ ea tamen, velut per remissionem & per lusum. Hi
 „ fru-*

„fructus in hortis, LIPSI, quos non permitem (quam
 „diu mihi sana mens) cum omni gaza Persarum aut
 „Indorum. E recentioribus secessuum usum CL. BVCH-
 „NERVS Ep. xxxviii. ad Rudolph. a Brand. p. 100.
 „& 101. his ipsis verbis depinxit. Ceterum, inquit A.
 „BVCHNERVS, quod de hospitii tenuitate, de vilita-
 „te pagi, quem petam, verba facis, comitatis magis
 „quam necessitatis est. Tantum enim abest, vt fasti-
 „diam rus, quod recte diuinum ipse diuinus Maro di-
 „xit, vt nullo non tempore eius quietem præ urbano
 „isto strepitu expetam; quippe qua nihil aptius ad in-
 „genuas colendas Musas. Quicquid pene in antiquitate
 „non modo, sed in ingeniis superiorum temporum mi-
 „ramur; id in secessu & procul vrbe scriptum est: quod
 „facile possem ostendere.

XVII. His recentioris ætatis certe clarissimis viris,
 addimus aliquem ex antiquissima & quidem DEMO-
 CRITVM, cuius in secessibus sapientiæ studium, qui
 præter Hippocratam *in epist. ad Philopæmenem p. 7.* maiori
 copia & elegantia litteris consignasset, facile, ego qui-
 dem, scio neminem. Meretur omnino hæc aurea epi-
 stola, vt vel totam excerpamus, nulli dubitantes, quin
 multorum desiderio, aut minimum saniorum, satisfacere
 possit. Ne tamen iusto plus spatii perdamus, ANV-
 TIVM FOESIVM interpretem saltem, * non ipsum fon-
 tem audiemus. *Ex litteris accepimus, inquit, Medicorum
 princeps, quod Democritus non insaniam, sed eximium quod-
 dam animi robur demonstrat, qui neque liberorum, neque uxoris,
 neque cognatorum, neque rei familiaris, neque cuiusquam omni-*

no

* *vid. Hippocrat. Oper. omn. Sect. VIII. p. 7. & 8. seqq.*

no curam habeat, sed dies & noctes solus priuatam vitam degat, in antris plerumque & solitudinibus, aut in arborum umbraculis, aut in mollibus herbis, aut iuxta crebra aquarum fluentia. Hac igitur plerumque melancholicis accidunt. Quandoque enim taciturni sunt, solitarii, desertorum amantes, familiarium conspectum, tanquam alienum, fugiunt. Et paullo post inquit: Non omnes amentes speluncas & quietem expetunt, verum etiam qui res humanas negligunt ob tranquillitatis desiderium. Cum enim mens curis externis fracta, corpus recreare, voluerit, tunc cito in quietem tradit, deinde, erecta & stans circum sese veritatis locum circumspicit, in quo non pater, non mater, non uxor, non liberi, non frater, non cognati, non ministri, non fortuna, neque prorsus quicquam tumultum excitat, sed perturbantia omnia reiecta pre timore subsistunt, neque appropinquare audent, pro eorum reuerentia, qui illic in habitant. Illum autem locum inhabitant artes, virtutum omne genus, dii, demones, consilia, & sententia. In illaque regione magnus polus stellis plurimum se mouentibus & tanquam corona cinctus est, in quam fortasse Democritus ob sapientiam commigravit. Deinde cum eos, qui in vrbe sunt, non videat, ut qui procul a domo agat, ob solitudinis amorem insanire creditur. Similia in Hippocratis ad Dionysium epistola occurrunt, & in illa ad Damagetum p. 12. Ex qua hæc præceteris, quæ de Democriti domo historice profequitur, nostro instituto in seruient. Ait enim: collis post turrim erat altus, longis & densis populis nigris opacus, vnde Democriti domicilium conspiciebatur. Ipseque Democritus sub umbrosa & humillima platano sedebat, in breui & substricta tunica crassa, citra humeros desinente (exomide dicta) solus, squalidus, in lapidea sella, pallidus admodum & macilentus, barba promissa: iuxta eum ad dextram tenuis aquula per decliuem tumulum decurrens, placide resonabat. Erat autem delubrum quoddam super

tumulum illum, Nymphis quidem, quantum conicere licet, dedicatum, sponte enatis vitibus circumdatum. Hic vero composite admodum librum super genua habebat, & alii quidem utraque ex parte ei adiacebant, crebra autem animalium cadauera, per totum dissecta, accumulata erant. Hic autem interdum contento studio scriptioni incumbebat, interdum multum subsistens, & apud se anxie excogitans quiescebat. Deinde non multo post his peractis exsurgens deambulabat, & animalium viscera inspiciebat, hisque depositis reuersus rursus desidebat. Quæ viuendi ratio facile credam, non solum olim *Abderitis*, vt est in Hippocrate, sed etiam hodie quam multis infania videtur. οἷς ὁ πόντος τῆς δεσπῆς μανίη κείνεται, ceu recte Democritus ad Hippocratem scripsit; quem alias etiam multis modis *Heraclito* præfert L. ANN. SENECA. de Tranq. A. c. XV. p. 538. edit. Schottian. Sed mittemus hos *Abderitas*, & numperæque ad sacro sanctum *theologia*, vel *pietatis*, & *innocentia* studium apti & idonei sint secessus, persequemur.

XVIII. Et *innocentia* quidem sedem esse secessus, vel sola epist. IX. LIB. I. argumento erit. Nihil audio, inquit „Plinius, quod audisse, nihil dico, quod dixisse poeniteat: nemo apud me quemquam (sinistris sermonibus) carpit; neminem ipse reprehendo, nisi unum me, quum parum commode scribo. Animus siquidem, non aliorum loquacitate aut verbis otiosis impeditus in se, ipsum descendit, repetendo, quæ olim, quæ non ita pridem, quæ hodie, male gesta. Tunc subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumsi, inquit Plinius Lib. I. ep. IX. Et licet ipse solus sit, recordatione male gestorum, omnia creaturarum genera contra se stare, putat. Quo facto incipit dolere, se ipsum accusare, damnare, immo neminem odio & auersatione magis dignum

gnum

gnum, quam se iudicare. Ridet etiam interdum inquietudinem hominum, qui summo labore & omni studio ad illam perennem & æternam grassantur inquietudinem. Se ipsum vero Dei spiritu finit animus noster præparare ad veram illam poenitentiam, quæ, ut *lacrima Petri* indicio sunt, remotis ab hominum consuetudine, contingit. Sic aliquando AVGVSTINO, vt ipse „LIB. CONFESS. c. XII. p. 219. confitetur, solitudo „ad negotium flendi: aptior erat, surgens ab Alipio, „vt totum imbrem lacrymarum cum vocibus effunderet. Et secessit remotius, quam vt posset onerosa esse „eius præsentia. Inde sub quadam fici arbore strauit se, „nesciens quo modo, & dimisit habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum suorum, ACCEPTABILE SACRIFICIUM DEO. CHRISTI D. N. aliorumque sanctorum, DANIELIS in primis, *ratio tractandi preces*, & reliqua sacra, facile etiam argumento esse possunt, quantum ad cultum DEO præstandum conferat illud *sacrum silentium*. Soliloquia denique (o quantum momenti res!) in secessu ali, quis horum bene gnarus, negabit? Nonne etiam *Eremitis* ex hac vel sola causa suam viuendi rationem gaudio fuisse, possemus argumentari? licet *vim externam* huic simul occasionem dedisse, exemplis Cypriani, Gregorii & Dionysii ductus, censeat G. Arnoldus Hist. Eccl. N. T. ad Sec. III. c. I. §. II. p. 159.

XIX. *Vita patrum*, quid simile aut commune cum his, de quibus agimus, secessibus, habuerint, colligas necesse est, ex illis, qui horum vitas tradiderunt. Nec dubitamus, quin eum in finem olim quidem *monasteria* fuerint exstructa. *Cella monasteriorum*, ait Bonifacius VIII,

VIII,

„VIII. c. IV. de R. I. in 6. ſunt loca ſecreta & ſolitaria,
 „quæ ab hominum ſeparata conuictu, ſunt ad contem-
 „plandum & Deo vacandum ſpecialiter deputata. Ad-
 „do, quæ PHIL. MELANCHTON de votis Monach.
 „in Theologic. hypotypos. p. 34. iudicat. *Quondam,*
 „inquit, ſcholæ monaſteria erant, vbi ſua ſponte cœli-
 „bes degebant ſcholæſtici, & quamdiu libebat, commu-
 „niter omnibus rebus inter ſe diſcipuli vtebantur, pa-
 „rebant liberaliter præceptoribus, vna pſallebatur, ora-
 „batur, differebatur, habebaturque totum genus vitæ,
 „non pro peculiari quodam Chriſtianismo, ſeu pro
 „ſtatu perfectionis, ſed pro imperfectorum, pro adole-
 „ſcentium tyrocinio & rudimento. Poſtea degene-
 „rantibus, vt fit, hominum moribus, legibus, primum,
 „deinde votis obſtringi cœperunt, qui ſe ad monaſte-
 „ria contulerunt. Eadem tradit hic præſtantiffimus
 „Vir Art. XIII. Apol. de V. M. p. 277. Immo ipſi, e-
 „cordatioribus, Pontificii, non plane diſſimulant idi-
 „pſum, & de priſtina integritate parum ſæpius ſuper ef-
 „ſe, conqueruntur. Id quod etiam eſt, quod ego ho-
 „die in his Monachorum ſeceſſibus deſidero, ſcilicet vir-
 „tutem ſponte, non autem inuito animo peragendam eſ-
 „ſe. Præclare ARNOLDVS VINNIVS IC. in Tractat. de
 „pactis c. VI. §. 3. p. 72. In neceſſitatibus nullus eſt vir-
 „tuti locus, quæ ex libera potius voluntate ac bona fide
 „pendet, quam ex aliqua coactione, teſte Ariſtotelez. Eth.
 „A datur Gothofr. Arnold. Hiſt. Eccleſ. N. T. ad
 „ſec. V. c. II. §. 18. p. 252. Sed quid hoc ad ſeceſſus?
 „Homines, potius, finem illorum verum & ge-
 „nuinum poſtponentes, aut peruertentes, in vitio poſi-
 „tos eſſe, cenſemus. Solitudinis & ſilentii ſtudioſis ex
 „ani-

animi sententia commendamus THOMAE KEMPISII lib. I. c. XVII. de solitaria vita p. 29. item c. XX. p. 36. & sequentes.

XX. E *profanis*, vt rem exemplo illustremus, constat de PYRRHONE ELIENSI, quod cum aliquando deprehensus fuerit solus, ac secum loquens, rogatus, „quid solus ageret; Meditor, inquit, esse probus, sentiens, ad id vtilem esse solitudinem, inutilem turbam; quæ præclara est ERASMI sententia Apoph. lib. VIII p. 672. O nimis igitur inimica amicitia, seductio mentis inuestigabilis, rectissime AVGVSTINVS dixit! Quantum quæso detrimenti nobis adfert hominum familiaritas! Abeant procul a nobis, qui nos nunquam, nisi deteriores, a se dimittunt. Quid precum multitudo, nisi ex animo, qui in deo requiescit, proueniant. O mores! o tempora! Vobis, qui Christi nomine superbis, turpitudini omnino est, quod parum tribuitis vitæ huic tranquillæ & solitariae, quæ tamen innocentiam & sanctitatem, puram castamque mentem alit. Quibus, nisi sitis quam probe instructi, non saluti, sed damno vobis erit omnis illa rituum vanitas. Audite Plinium meum hac de re, hominem gentilem, sed certe in Panegyric. Trajan. c. III. §. 5. optime differentem! „Animaduerto, inquit, etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate, lætari: gratioresque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

§. XXI. *Tranquillitatis* etiam causa veteres frequentasse suos secessus, Plinius de seipso LIB. I. Ep. ix. testatur. In Laurentino meo, ait, nulla spe, nullo timore,

D

„sol-

„sollicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum tantum & cum libellis loquor. Hinc & vacabat corpori, cuius fulturis animus sustinetur, vt in eadem epistola tradit. Hanc ipsam ob rationem Macrinus, equestris ordinis princeps, Plinii honoribus, molestiarum plenis, & ambitione inquietis, prætulit honestam quietem LIB. I. Ep. xiv. LIB. I. Ep. ix. Minutio Fundano suadet Plinius, vt strepitum istum, inanemque discursum, & multum ineptos labores, vt primum fuerit occasio, relinquat, seque studiis, vel otio tradat. Et LIB. III. EP. I. Spurinnæ vitæ rationem multorum præfert, sibi que simile aliquando otium contingat, precatur. Addo EP. xxxii. LIB IX. Ipse noster Secundus LIB. II. EP. II. ad villam partim studiis, partim desidia fruebatur: quorum vtrumque ex otio nascebatur. Nobilissimi præterea philosophi omni studio olim etiam expetierunt tranquillitatem, cum mores hominum noluerint amplius ferre, vt lib. I. de Offic. c. xxi. CICERO adnotauit. Ex iisdem etiam causis quosdam sapientes merito a re publica abstinuisse Morus in Utopia Lib. I. p. 103. existimat.

Beatus ille, qui procul negotiis,

Vt prisca gens mortalium:

Horatius Epod. II. cecinit in laudem rusticæ vitæ. Plinius tamen cum suis amicis, ita tranquillitati operam dedit, vt simul rei publicæ dedisse videretur. Nam & rei publicæ seruire negotiis, & disceptare inter amicos, laude dignissimum est; Lib. VII. Ep. XV. Et Euphrates Lib. I. Ep. X. Plinium, de suis occupationibus querentem, consolatus adfirmabat, etiam esse hanc philosophiæ, & quidem pulcerrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, prome-
re

re & exercere iustitiam; quaeque ipsi doceant, in usu habere. Scipionis otium, cum dignitate & rei publicae cura coniunctum fuisse, ex lib. III. Cic. de Offic. c. I. constat. Et bene CL. HILDEBRAND ad hunc locum in notis: *Moris fuit apud Romanos, ut principes Viri publicis negotiis curisque fatigati, in rus euolarent, post tempestiuam laboris intermissionem alacrius ad eundem redituri.* Ita de Africano Min. memorat, Vell. l. I. c. 13. quod nemo eo diligentius interualla negotiorum otio dispunxerit. Amant alterna Camœnæ. Requies laborum condimentum. Plut.

§. XXII. Aurea vero præ ceteris vox est Plinii Lib. VIII. EP. IX. *nulla studia tanti sunt, ut amicitiae officium deferatur, quod religiosissime custodiendum studia ipsa precipiunt.* Immo, ipse TRAIANVS, tantum abest, ut in secessu oblitus fuerit rei publicae, ut & in iisdem coram ipso causam dicere, patronis causarum permiserit. *Quid iucundius, ait Plinius Lib. VI. EP. XXXI. quam principis iustitiam, grauitatem, comitatem, in secessu quoque, ubi hæc maxime recluduntur, inspicere?* Patet inde, quod illud ipsum tranquillitatis studium nunquam sine rei publicae studio fuerit, adeo, ut veterum otium aut animorum relaxatio nihil, aut parum vitii habuerit. Turpe enim illud otium, quo multi e nostris hodie, dies, menses, immo annos perdunt, recte omnino detestatur Ioa. Spinæus Lib. VI. de Tranq. A. p. 295. Otium vero ad firmandum corpus, & vires illius conseruandas, ipse Deus hoc ipso nobis commendat, dum diei & noctis fecit discrimen. Pie CHRYS. Homil. ad Stelechium: *ὁ Θεὸς τὸ σκοῖτῶ ἀπλώσις, κατὰ τὰς ἀνθρώπους τῶν πόνων. εἰ δὲ μὴ τὸ ἦ, ὑπὸ τῆς φιλοπραγμοσύνης τ' ἀγαν, καὶ πῶν πόνων ἅπαντες ἀνδρες ἀδύμεν.* Deus tenebras pandens homines a laboribus liberat: hoc si non esset, a nimia cupiditate faciendorum negotiorum

tiorum omnes opprimeremur. De feriis, siue a labore cessationibus Romanorum, scite egit CL. FR. HILDEBR. in notis ad Lib. III. de Offic. c. XIV. p. 283. Confer. Part. I. Quæst. LIII. Politic. p. 124. doctissimi MELCH. IVNII.

XXIII. Huic autem sententiæ, de tranquillitate in secessu obtinenda, videtur *hoc unum ob stare*, quod LIPSIVS sub Langii nomine Lib. I. de Constant. c. I. II. & reliq. in medium proponit. Scilicet, vt cursim & breuiter dicamus, quod res est, tranquillitatem non saltem in locis, a turbine hominum remotis, sed quam maxime in animo liquido, omni concitatione vacante, quærendam esse. Ast, nihil nobis contrarii, LIPSIVS doctissimus habet. Idem enim, quod ipse, volumus, & saltem dicimus, secessus *magis occasione nobis esse ad tranquillitatem, & impedire, quo minus curæ curis accumulentur, quam si nos medios inter labores, vrbisque fremitum sudamus.* *Animus* vtique hac in parte vtramque absoluit paginam, vt recte LIPSIVS philosophatur.

XXIV. Multo minus hæc ratio viuendi aliquando in secessibus, vt quidem eam descripsimus e Plinio, *evertit societatem humanam*, immo, plus ei prodesse videtur. Non enim omnem societatem odio habuerunt; erat Plinius in municipio cum profocero suo, erat cum amita vxoris, erat cum amicis desideratis; Lib. V. ep. XV. Mox cum meis ambulabam, ait. LIB. IX ep. XXXV. quorum in numero sunt eruditi. Sollicitarunt se inuicem in secessus, Lib. VI. ep. XVI. Interueniebant amici ex proximis oppidis, partemque diei ad se traxerunt, interdumque lassato Plinio opportuna interpellatione subuenerunt. Lib. IX. ep. XXXVI. Satiati otio, ad

vr-

urbem, aut amicos revertebantur, Lib. VII. ep. VII. immo, a longo recessu reocarunt hos ipsos in urbem, Lib. VII. ep. III. Setamen etiam in villa querelis rusticorum inquietari, conquestus est Plinius Lib. IX. ep. XV. Lib. VII. ep. XXX. Macedonem, sævum dominum, a seruis suis in secessu oppressum, narrat Lib. III. ep. XIV. fuit præter hoc aliud *incommodum*, quod Plinius Lib. VII. ep. XVII. prodit. Sed omnia hæc tanti non erant, ut missos plane fecissent secessus; prudentibus enim singula superatu quam facillima videbantur.

XXV. Superest, ut de *valetudine*, cuius quoque causa secessus visiterunt, agamus. Præiuit nobis Plinius copiose Lib. V. ep. VI. Et de gestatione Lib. I. ep. III. Lib. II. ep. XII. LIB. IX. Ep. VII. Præ ceteris huc pertinet Lib. V. ep. XIX. Elegantissima sunt, quæ Cic. in Catone Mai. c. XI. habet. Adeo maximæ ipsis valetudo curæ fuit, ut ex hac causa Spurinnæ lib. III. ep. I. post septimum & septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer; inde agile & viuudum corpus, solaque ex senectute prudentia. Erant enim sapientiores veterum tam parci & continentes, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restrinxerint, ut est Lib. V. EP. XIX. in fine. Hinc & modum *ambulando* litteras tractandi a veteribus non alienum fuisse CL. V. MELCH. IVNIVS quæst. citat. Part. I. p. 126. obseruat. Sic Cicero Tironi suo sanitati inservientia præscribens, inter alia *ἠπιπαιτον σύμμετρον*, moderatam inambulationem notat, in Epist. 16. familiar. Multas præterea e Plinio iam allegauimus epistolas, in quibus simile probatur. Eandem ambulationis salubritatem, degentibus in secessu familiarem, doctissime

obseruat in Orig. & Antiq. Medic. p. 133. CL. V. SALOM. CELLARIUS, CHRISTOPHORI filius, post fata colendus. Optime tandem rem omnem in summa Celeberr. Waldschm. Instit. Med. Rat. Lib. IV. c. 1. §. 3. p. 183. e CELSO sistit. *Sanus homo, & qui bene valet, & sua spontis est, nullis se obligare legibus debet, ac neque medico, neque alicui egere. Hunc oportet varium trahere vita genus, modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere, siquidem & ignavia corpus habet, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo ungi, modo id ipsum negligere.*

XXVI Hæc de secesibus veterum sufficiat dixisse. O beata gens, quæ ad imitationem antiquitatis utitur, non abutitur secesibus! Nulli etiam dubitamus, dari in Germania, immo in NOSTRA FRIDERICIANA veteribus quam *simillimos*, quos, ut Plinianis utar, *emulantur, expriment, reddunt.* Et nihil fortasse ipsis deerit, quam ut in BELGIO, sicut olim clari homines, ATHENIS, *viuant, immortalitatis sedibus.* Operis autem nostri hisce „Plinianis Lib. VII. Ep. xxv. finem faciemus. O quantum eruditorum, aut modestia ipsorum, aut quies operit & subtrahit famæ! At nos eos tantum dicturi aliquid aut lecturi timemus, qui studia sua proferunt; quum illi, qui tacent, hoc amplius præstent, quod maximum opus silentio reuerentur. Sunt enim, ut in castris, sic etiam in litteris nostris plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus inuenies.

Ad-

Additamenta.

I.

Datur *ὑπόκεισις*, quam Rhetores pronunciationem siue actionem vocant, quæ in maxima laude posita. Sic laudi ducitur Attico, quod excellenter pronuntiavit, teste Corn. Nep. in eius vita c. I.

II.

Hanc autem ex *usu* potius quam *præceptis* discendam esse, constans & firma Rhetorum est sententia. Idcirco etiam procul dubio a veteribus *recitationes* fuerunt institutæ; de quibus præclare sentit VIR Polyhistor C. Cellarius in dissertat. de Stud. Rom. Litt. in vrbe & prouinc. quam sub ipsius præsidio publico aliquando submisimus examini §. XXI.

III.

Non nullas Grammaticorum *regulas magis Metaphysicis, quam claris oratoribus*, debere originem, facile possumus probare. Et id etiam in causa esse censemus, quod linguam latinam vix vicenarii perdiscant adolescentes, quum Gallicam alii, aut Italicam triennii curriculo plenissime absoluant.

IV.

Nihil Plinio aduersi dicimus, si vivam vocem multo magis adficere statuimus. Nam licet acriora sint, quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit. Plin. lib. II. ep. III.

V.

Commode C. Velleium Paterculum suppleri posse hac ratione: *pia facta comprobate*, locus ille Velleii lib. I. c. I.

c. I.

c. I. n. 3. in re plane simili: *factum eius a diis comprobatum*, videtur euincere.

VI.

Multa sunt, quæ *Mathematicorum* etiam in secessus probant amorem adfectumque.

VII.

Non, qui semper dicit, vel orationem, aut sermones ferit, sed qui etiam *scit tacere*, ORATOR est, Plin. Lib. VI. ep. VII. conf. elegantiss. CL. V. MORCHOFII disputat. de Eloquentia in tacendo, anno 1684. Kiloni habitam.

VIII.

Illi, qui in secessu *recte student*, corporisque valetudinem curant, ut vtilis abs se actiones in alios proficisci queant, aut per ingenii solertiam talia inveniunt, quibus vita humana redditur instructior, *profunt societati*, si non *definite, indefinite* tamen; ut bene illustris PVFENDORFFIVS observat Lib. I. de Offic. H. & Civ. c. IIX. §. 1. 2

p. 110. & 111.



Ant. Rom. 584.

